



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

XI. Termini Aquitanicæ legationis non fuere semper certi, sed contracti aut dilatati pro libito Pontificum Romanorum. Gaufridus Episcopus Carnotensis habuit legationem Aquitaniæ post Gerardum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

factum est ut Rodulfus, qui aiebat sibi impositam esse necessitatem parendi Archiepiscopo Lugdunensi Primate suo, ad Concilium Amati accedere recusaverit. Quam ob causam, ut ego quidem existimo, excommunicatus est ab Amato, quod ei inobediens extitisset. Ita enim habetur in Narratione monachorum Majoris monasterij Turonensis de his quæ acta sunt pro libertate illius monasterij, edita à clarissimo viro Laurentio Bochello ex veteri codice M. S. qui nunc extat in bibliotheca Seguieriana: *Consilium & opem requisivimus Domni Amati Legati sedis apostolicæ & Archiepiscopi Burdegalensis Ecclesiæ. Qui afflictioni nostræ valde compatiens, indicavit nobis cassam esse illam excommunicationem quam super nos Archiepiscopus Turonensis & complices eius intentaverant. Quippe ipse antea eundem Archiepiscopum Rodulfum certis exculpis excommunicaverat; & in hoc magis nos esse reos constanter affirmabat, quod inobediens suo quoquo modo obedieramus &c.* Probabile est Amatam communicasse cum Hugone literas pontificias legationem suam continentes, Hugonem verò earum auctoritatem reverenter suscepisse, benèque deinceps inter eos convenisse. Nam in eadem Narratione monachorum Majoris monasterij reperio celebratum ab iis unâ fuisse Colloquium Dolense in Biturigibus, in quo rursus agitata est causa illius monasterij: *Denique Dolense Colloquio, quod eo tempore habitum est coram Primatibus & Legatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domino videlicet Hugone, & Domino Amato, de quibus prædiximus &c.*

XI. Verùm ut redeamus ad legationem Aquitanicam, sic constituere possumus, nullos ei terminos fuisse præscriptos, sed contractos aut dilatatos pro libito Summorum Pontificum. Quippe Amato, præter quinque provincias quas diximus, mandata etiam fuit prima Narbonensis & provincia Tarraconensis, quæ tum sub Metropolitanò Narbonensi erat & Regibus Francorum parebat. At Gerardo Engolismensi Episcopo tributæ sunt tantùm quinque provinciæ; nihilque juris illi concessum est in provinciam Narbonensem, neque in Tarraconensem. Ad exemplum verò potestatis quæ illi collata fuerat, Innocentius II. Gaufrido Carnotensi Episcopo legationem Aquitanicam commisit, id est, earum provinciarum quas auctoritati Geraldii fuisse subjectas jam docuimus. Vnde in Chronico Maurigniacensi scriptum est Aquitanicæ totius legationem illi commissam fuisse. Hunc, inquit auctor illius Chronici, *precedentes Apostolici amicum semper & familiarem habuerant, & pro valoris vel elegantie qua præditus erat magnitudine, to-*

Apud Duchesne.  
t. iv. pag. 182.

*tius ei Aquitania legationem indixerant.* In eo tamen errat hic auctor, quod ait illam legationem Gaufrido commissam fuisse à decessoribus Innocentij secundi. Constat enim Gerardum ea dignitate ornatum fuisse à temporibus Paschalis usque ad Innocentium, eam verò tum transmissam ad Gaufridum quando Gerardus secessit ab obedientia Innocentij, in partes transgressus Anacleti. Vnde factum est ut in Martyrologio Carnotensi, ut quidem citant viri clarissimi Sammarthani, dicatur functus esse legatione pro Innocentio per annos quindecim. Præstat autem locum ipsum heic referre, cum in eo enumerentur provinciæ quæ limitibus Aquitanicæ legationis tum continebantur, si tamen Aucitana, quæ vitio haud dubiè librarij omiſsa est, addatur. *Nono Kal. Febr. obiit Gaufridus Episcopus Carnotensis, qui super Bituricensem, Burdegalensem, Dolensem, & Turonensem provincias per annos circiter 15. sanctè & religioſè functus est legatione pro Innocentio.* Mendosus est hic locus. Nam legatio Aquitanicæ ei commissa est ab Innocentio post annum MCXXX. Ipse verò obiit anno MCXXXVIII. Itaque non potuit legatione illa fungi per annos quindecim.

## CAPVT XLVII.

## Synopsis.

I. Perpetuos in provinciis Legatos instituendos esse censuerunt Romani Pontifices: reserato reſervata dominationis arcana per legationes. Probatum ex Honorio III.

II. Sed ut res ista ordine procederet, insuſannanda erat agro mortalium generi necessitas Legatorum. Ea necessitas deducta ex cura universalis Ecclesiæ, quam Romana sedis antistiti incumbere scribit post Vigilum Alexander secundus. Eam curam expetere ut Romanus Pontifex mittat qui provincias vice sua visitet. Hoc jus à veteri consuetudine repetit Gregorius septimus. Ex ea persuasione factum ut cuncta ecclesiastica negotia Legatis committerentur, specie extirpandi vitia & inserendi virtutes.

III. Religiosissima illa Pontificum verba non ita semper accipiebantur in provinciis, eaque specis pietatis aliquando passa est contradictionem.

IV. Eandem veterem consuetudinem obtulerunt etiam Paschalis II. & Callistus II.

V. Prædecessorum suorum cogitata magnificis verbis elocutus est Innocentius III. Legatorum utilitatem ac necessitatem commendans.

VI. Ex eo factum est ut in immensum posterioribus seculis excreverit Legatorum dignitas & auctoritas, ita ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur. Olim causas iudicabant in Conciliis. Plurimis verò temporibus insuper habuerunt Episcoporum nomen.

VII. Tanta olim fuit Legatorum auctoritas ut non liceret iudicia eorum retractare. Probatum auctoritate Alexandri

Fual. Bond.  
lib. 1. 10. 1.

71  
M

716  
171

Epist.  
V. 12  
proh.  
nat.